

Sammelbd. 1

4.



- 1 De Persona Christi
- 2 De Ecclesia et Antichristo
3. De Sacra Coena
- 4 Disputus de S. Coena.
- 5 De Regeneratione et Renovatione
- 6 De Videtur S. Theologo
- 7 Theologia Polemica
- 8 Lutherus de Verbo Arbitrio
- 9 Necessaria Eccles. Protestantium
in fide Consensio.
- 10 De Praedestinatione et reprobatione.
11. Ecclesia Romana cum Lutheranica
irreconciliabilis.
12. Positiones Jur. Canonici et Ecclesiastici
in seriem Decretalium
13. Matth. Reptari de jure Patronatus
- 14 de obligatione ex Pacto Sponsalibus

כבודת אלהים

DISSERTATIO SACRA.

DE

ECCLESIA,

ET

ANTICHRISTO

Ejusq[ue]

REGNO,

Ex Synopsi Theologia Symbolica Lutherana,

QUAM,

PRÆSIDE

VIRO, MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO, ATQ[UE]
EXCELLENTISSIMO,

DN. JOH. HENRICO MAJO,

SS. Theol. D. ejusdem, & Oriental. Linguarum
PROFESSORE P. longè Celeberrimo, Ecclesiae Giessensi ac
Consist. Eccles. ASSESSORE Gravissimo, districtus Alsfeldens. &
Marburg. Darmstatinæ partis SUPERINTENDENTE Vigilanti-
tissimo, Stipendiatorum EPHORO ac PÆDAGO-
GIARCHA dexterrimo,

Domino, Præceptore, Promotore ac in Christo,

Parente suo, eâ quâ par est, observantiâ, æternum sanctè
devenerando, colendo,

Publicè

Divina Assistente & Annuente Gratia,

Ad diem Febr. 1726. res subjiciet & defendet.

GEORG ALBRECHTIUS BELTZERUS,

Neukirchensis Westriacus SS. Th. St.

GIESSÆ HASSORUM,

Typis CHRISTOPH. HERMANNI KARGERI, Acad. Typ. Ord.



VIRIS

*Admodum Reverendis Præclarissimis Atq̃
Doctissimis,*

DOMINO

M. CHRISTOPHORO Soldan /

Mysteriorum divinorum apud Ranstadenfes
& Effolderbacenses interpreti optimè merito.

DOMINO

M. JOH. GERLACO ARNOLDI,

Ecclesiæ Rodheimensis, Pastori longè
dignissimo.

DOMINO

M. JOHANNI ADAMO SELLIO,

Widdersheimensium ut & Borsdorffiensium
Ecclesiasti meritissimo, vigilantissimo.

UT ET

DOMINO

JOH. FRIDER. ELLENBERGERO,

Prætori Judicii Mosensis prudentissimo.

*Dominis Patronis, Fautoribus ac Amicis Estimatis simis nunquam
non devenerandis atq̃ colendis*

Specimen hoc Theologicum in debitæ gratitudinis Symbolum,
ulterioris favoris & promotionis fuscitabulum & perpetuam
sui commendationem, cum voto omnigenæ felicitatis

Offert & consecrat.

RESPONDENS.

Præstantissimo Eruditissimoq; Iuveni,
DN. GEORGIO ALBRECHTIO BELT
Stipendiario Hassiaco, Auditori suo per aliquot
annos perindustrio,


ΣΥΝΕΣΙΩ ΕΝ ΠΑΡΕΣΙΩ
Precatur

P R A E S E S.

DE Ecclesia eiusq; hoste infensissimo cum disputas & à me s. gratulationem, s. testimonium expetis studiorum, primum commodumq; mihi succurrit nobilis ille & tot tantisq; disputationibus fatigatus locus 1. Tim. III. 15. ubi Paulus causam saluberrimorum monitorum discipulo datorum his verbis exprimit: ut scias, quomodo sit in domo Dei versandum, quæ est Dei viventis Ecclesia, columna & firmamentum veritatis. De postremo hemistichio cum primis controversia disceptatioq; est, quò illud pertinet, ad Ecclesiamne, an ad Timotheum? Illud licet Nostrates quoq; vulgò concedant, multis tamen rationibus solidè demonstrarunt, nihil quidquam Pontificios inde extorquere posse pro asserenda infallibilitate Ecclesie sue A catholicæ. Mihi tamen posterius magis placet, sequentes ob causas: quia ad Ecclesiam quam antea domum vocaverat Apostolus, minus quadrare videtur appellatio columna & firmamenti, optimè autem in Timotheum, qui Ecclesie Ephesina columna & firmamentum veritatis erat ac esse debebat. Unde si, quod sæpissimè in sacris & profanis scriptoribus, fit, subaudiatur *ὡς* vel *ὡν*, h. s. ut scias, Timothee, quomodo versari debeas in domo Dei tanquam columna & firmamentum veritatis, omnia plana & expedita sunt. Accedit, quod alibi quoq; Ecclesie ministris & fidelibus iste titulus tribuatur. Ita Paulus in Epistola ad Galatas perscripta (Cap. II. 9.) Jacobum, Johannem & Petrum pro columnis habitos prodidit. Christus ipse (Apoc. III. 12.) promittit se fidelem & vincentem facturum columnam in populo Dei sui, i. e. Ecclesia. Ex Patribus deniq; loca bene multa indicari possunt, quibus illi viros de Ecclesia optimè meritos columnas & firmamenta veritatis vocaverunt. Quapropter non abs re Te Charissime Beltzere rogo atq; moneo, ut cum de Ecclesia disputas, omni cura diligentiaq; eo contendas, quò Ecclesia aliquando Tibi ex divina voluntate concedenda, columna & firmamentum veritatis esse queas, non tantum disputando aut docendo, sed & piè vivendo, quia CHRISTUS, qui unicum est fundamentum, (1. Cor. III. 11.) conjunctivè, non disjunctivè via, veritas & vita est. Hujus amore constanti & dulcedine, odio vero Antichristi Deus Te impleat. Elucubr. IX. Febr.

A. MDCXCV.

AR-



ARTICULUS XVI.

DE

ECCLESIA,

THESIS.

Ecclesia propriè est congregatio sanctorum & verè credentium, in qua Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta, sub uno capite Christo collecta & militans aduersus hostes, Una, Sancta, Catholica & perpetuò duratura, tandemque in coelis triumphatura.

ECCLESIAE CUM ANTITHESI.

§. I.

Ordo.

Momentum.

Quia Ecclesia est officina Spiritus Sancti, in qua ille per verbum & Sacramenta operatur, convenienti ordine de Ecclesia nunc agitur. *Et hic articulus necessaria de causa proponitur, ut sciant afflicti, quamvis magna sit multitudo impiorum, Ecclesiam opprimentium, & periculorum, ei interitum minantium, tamen Ecclesiam existere, (Apol. 145. seq.) extra quam non est salus. Necessè etiam est, scire, ubi & quænam sit Ecclesia vera, quò securi, infideles & heterodoxi ei sese associare & à falsa separare possint, præsertim cum Pontificii & alii Ecclesiæ Catholicæ titulum sibi solis vendicent.*

ANTI-

ANTITHESIS

- I. Pontificiorum, ut dictum.
- II. Socinianorum, putantium quæstionem de Ecclesia, quænam & apud quos sit, non necessariam & ferè inutilem esse.

§. II.

Ecclesiæ vox Græca est, (Cat. maj. 498.) notatque propriè *ἐκκλησία*. nihil aliud quam *congregationem*, dicente Luthero l. c. vel *evocationem*, sive divinitus *evocata* multitudinem è mundo, qui in maligno positus est, & *congregata* ad regnum Dei. Rectè ergò in A. C. art. VII. & VIII. nec non *Apologia* (144. 145. 147.) *congregatio* (ut in Hebr. lingua *קָהָל* ac Græca *συναγωγή*) & quidem *sanctorum* atque *credentium* dicitur. Quamquam enim verba *ἐκκλησία* & *ἐκκαλεῖν* aliquam cognationem habeant, & sano sensu Ecclesia etiam *cætus electorum* dici queat, maluerunt tamen Confessores uti voce *sanctorum* & *credentium*, quàm *electorum*, ne quis putaret, eos tantum intelligendos esse, qui absoluto quodam Dei decreto sint electi. Nam Ecclesia non tantum electos propriè sic dictos ambitu suo complectitur, sed etiam credentes & sanctos, qui iterum excidere possunt gratia Dei, & quando excidunt, non amplius sunt viva Ecclesiæ membra. In Art. III. Symboli Apostolici vocatur *communio sanctorum*, quæ vox. D. Luthero iudice, (Catech. maj. 499.) interpretanda, non *Gemeinschaft* / sed eine *Gemeine der Heiligen* / aut adhuc significantius, ein *heilige Gemein* / vel potius eine *Christliche Gemeine* oder *Samlung* / aut omnium optimè & clarissimè *sancta Christianitas*, (eine *heilige Christenheit*) dicenda fuerat. Nos Germani hanc dictionem *Kirche* / usurpare consuevimus, ex Græco *κῆρια*, quod Latini *curiam* nominant, vel *κῆριακὴ* aut *κῆρις*, q. d. *domus Dei*, quemadmodum passim in Veteri æquè ac N. T. appellatur. Hanc vocem *simplices* non de *congregata* multitudine, sed de *consecratis templis* aut *adificiis* intelligunt. Tametsi *sacra domus*, Ecclesia dicenda non est, nisi propterea quod *hominum multitudo* in ea *convenire* soleat. &c. (Cat. maj. l. c.) Idem de vocabulo *Ecclesia* observandum est, quod nusquam in Scriptura S. *templum* sive

Homonymia,

sive *adificium* significat, sed semper & ubique congregationem, & quidem *proprie* sanctorum ac credentium, *improprie* autem & *largè* externam societatem visibilem, quæ vinculo professionis ejusdem veræ doctrinæ & communionis Sacramentorum continetur: (Apol 144.) in quâ societate *multi hypocrita & mali admixti sunt*, (Art. 8. A. C.) Pro diversa hac consideratione diversimodè etiam definiri Ecclesia solet, nec prolixâ opus est Apologiâ aduersus calumnias aduersariorum, prout Apologia notavit (l. c.) cum uterque A. C. articulus invicem collatus eas satis diluat. Interim *quando definitur Ecclesia, necesse est eam definiri, quæ nomine & re Ecclesia, sive vivum corpus Christi est*, præfertim si ipsa Scriptura S. eam sic definiat. Unde Apologia talem definitionem probat: 1. è Paulo, Eph. I. 22. 23. V. 26. cujus sententia penè totidè verbis in confessione posita est. (145.) 2. è verbis symboli Apostol. *Credo sanctam, Ecclesiam Catholicam, communionem sanctorum.* 3. Ex titulo *Catholica*, quæ vos declarat homines sparsos per totum orbem, qui Evangelio consentiunt &c. 4. *A consensu glossæ in decretis, & Patrum.* (146. 149.) 5. *A forma Ecclesiæ s. regni Christi*, quod consistit in iustitia cordis & donatione Spiritus Sancti. 6. *A differentia populi legis*, V. T. qui etiam promissiones rerum corporalium habebat, & quem Deus ab aliis gentibus per certas ordinationes externas separaverat, & *Ecclesia*, quæ est populus spiritualis, non umbram sed res ipsas rerum æternarum habens. (146. 147.) 7. *A discrimine regni Christi & diaboli*: in illo impii sunt & à Satana reguntur, Ephes. II. 2. Joh. VIII. 44. ac proinde non sunt Ecclesia; in hoc pii & sancti, qui reguntur à Spiritu Christi. (147.) Quando igitur Ecclesia *congregatio* dicitur, non tam *externa & visibilis*, quàm *occulta, interno* adeoque *invisibilis* intelligitur, quæ consistit in unione mystica fidelium cum suo capite & eorundem inter se per eandem fidem & mutuam charitatem.

ANTITHESIS

Pontificiorum, quorum errores in voce & re Ecclesiæ noti sunt. Unde non mirum est, quod falsam Ecclesiæ definitionem habeant, quam Apologia (149.) expressit; ex qua constat, quod
Ecclesia

Ecclesia Pontificia non Christi, sed Antichristi Ecclesia sit; id quod amplius ex notis & affectionibus veræ Ecclesiæ elucescet.

§. III.

Vocat autem homines ad Ecclesiam pro sua *φιλανθρωπία* Causa. Efficax
ineffabili bonitate, & gratia, Deus T. O. M. Pater, Filius, Eph. V.
2. Tim. I. 9. in primisque Spiritus S. secundum explicationem
D. Lutheri egregiam Art. 3. Symb. Apost. in Cat. min. (372.) &
maj. (496. 498.) *universaliter, serio & efficaciter* (Epit. 618.
Decl. 804. 805.) non *immediate*, (ibid. & 818.) sed per verbum Evan-
gelii (ibid.) *efficax*, & Sacramenta Eph. V. 26. s. ac *ministerium do-*
cendi Evangelii & porrigendi Sacramenta, sive Ecclesiæ Ministros,
Matth. XXII. 3. (Decl. 670. 818.)

ANTITHESIS

Calvinianorum, negantium vocationem *universalem, seriam*
& *efficacem*, adeoque etiam *contradictorias voluntates* Deo attingentium. (Decl. 807.)

§. IV.

Qui divinæ vocationi obtemperant, evocarique se sinunt, Materia ex
Ecclesiæ membra audiunt; sed eorum nonnulli verè credentes qua,
& sancti sunt, qui habent inter se societatem ejusdem *doctrina, fidei,*
& *ejusdem Spiritus Sancti, corda ipsorum renovantis & sanctifi-*
cantis: (Apol. 145.) alii tantum membra sunt Ecclesiæ secundum
societatem externam, h. e. verbi, professionis & Sacramentorum, in-
terna regeneratione & sanctitate destituti, adeoque hypocritæ;
manifestè enim malos & sceleratos excommunicat Ecclesia. Illi
propriè ad Ecclesiam pertinent, ut prolixè probavimus ex Apo-
logia §. II. quia Ecclesia *principaliter est societas fidei & Spiritus*
Sancti in cordibus, (Ap. 144. fin.) Hi verò ad regnum Diaboli per-
tinent, non ad Ecclesiam, quippe quæ non est cætus ex sanctis,
s. credentibus, & non-sanctis atque hypocritis constans, sed talis
cætus, cui *multi hypocritæ & mali admixti sunt*, qui non tam in
Ecclesia sunt, quàm in illo cætu, in quo Ecclesia per verbum &
Sacramenta colligitur. Esse verò in Ecclesia etiam impios, ma-
los & hypocritas, docet *status Ecclesiæ omnium temporum, para-*
bola

bole obvia, quando v.g. Ecclesia comparatur *agro*, ferenti triticum & zizania, *area*, in qua triticum & palea, *sagena*, in qua pisces boni & mali sunt, &c. (Ap. 144. 148.)

ANTITHESIS

I. *Audeanorum*, *Novatianorum*, & *Donatistarum*, qui ab Ecclesia secessionem fecerunt, propterea quod in ea tolerarentur impii, & impuri. Quibus accesserunt nostris temporibus II. *Anabaptista* aliique *Fanatici*, negantes illum cœtum, cui non sancti sunt admixti, esse Ecclesiam. III. *Schmalzius* Socinianus, ref. thes. Franzii Disp. 8. contendit partem illam definitionis, quod *mali & hypocrita sint admixti*, planè omitti posse, cum non sit necesse, tales in visibili Ecclesia esse. Quod damus facilè, sed ubi dabitur cœtus prorsus purus? Conf. *Gerh. L. de Eccl. §. 49. fin.*

§. V.

Forma,

Atquè hinc colligitur facilè, in quo Ecclesiæ *forma* consistat. Pro diversa Ecclesiæ consideratione diversa illa est. Qui latiore sensu accipiunt Ecclesiam, illius formam consistere dicunt in unitate externæ professionis fidei ejusdemque publici exercitii. At qui propriè sumunt, formam ponunt in unione verè credentium & sanctorum cum Christo capite, per veram vivamque fidem, & charitatè mutua. Cum enim Ecclesia corpus Christi appelletur, quod Christus unicum illius caput, *Spiritu suo renovat, sanctificat & gubernat*, interna forma Ecclesiæ erit communio ista, quam expressimus, adeoque Ephes. I. 22. 23. IV. 3. 4. (Ap. 145. 150.) propriè describi aliter nequit Ecclesia, quam quemadmodum eam descripsit A. C. & probavit Apologia. (v. sup. §. II.) Ex hac interna Ecclesiæ formâ, *externa forma* nascitur, in societate externâ verbî, professionis & Sacramentorum consistens. Quoad illam Ecclesia *indeficibilis & invisibilis*, quoad hanc *deficibilis & visibilis* est.

ANTITHESIS

Pontificiorum, ut ad §. II. ostensum. Nunc illum errorem tantùm notamus, quod negent, solum Christum esse Ecclesiæ caput,

caput, contendantque Papam jure divino esse summum caput Ecclesie Christianae, potestatem habens *αὐτονόμου* &c. (Apol. 149. Art. Smalc. 313, 315.) Verum ex Scriptura nil tale probarunt hactenus adversarii, nec probare potuerunt: quin potius ex ea liquet, Papam esse *Antichristum*, ut suo loco ostendemus. β. dari Ecclesiam invisibilem & deficiibilem.

§. VI.

Tametsi verò Ecclesia principaliter sit societas fidei & Spiritus Sancti in cordibus, adeoque soli DEO certò cognita, habet tamen externas notas, ut agnosci ab hominibus possit, videlicet rectam, sive veram, & puram Evangelii doctrinam, & administrationem Sacramentorum consentaneam Evangelio Christi. (Ap. 145.) Ut enim nascitur Ecclesia ex pura verbi divini prædicatione & Sacram. administratione, ita etiam nascitur ex utroque, tanquam cœtus credentium Rom. X. 14. ff. 1. Pet. I. 3. 4. 23. ff. Eph. V. 25. f. Act. II. 42. Matth. VII. 16, Joh. X. 16. Puritas autem doctrinae & de eadem consensus, superstrui debet fundamento Prophetarum & Apostolorum, (Ephes. II.) non Symbolo Apostolico, quippe quod nec omnia continet dogmata icitu credituque necessaria, nec eum in finem concinnatum est, ut esset nota vel testifera discernendi orthodoxos ab heterodoxis, quemadmodum supra p. 9. & seqq. demonstravimus. *Apologia* (p. 148.) quædam adducit tanquam fundamentalia, in Symbol. Apost. non extantia quoad literam, ut: *fide nos accipere remiss. peccator., homines non mereri gratiam dilectione &c.* Fundamentum ergò integrum retinendum est, h. e. vera Christi cognitio & fides, ut columna veritatis dici queat Ecclesia. *Etsi sunt etiam multi imbecilles, qui super fundamentum adificant stipulas perituras, h. e. inutiles quasdam opiniones; ea tamen quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur.* Talia occurrunt in Patrum scriptis multa (Ap. 148.) & subinde plura irrepsere in Pontificiorum Ecclesiam z zania superfeminata tritico verbi divini, quod tamen vim fructificandi, Ecclesiamque plantandi augendive non amisit (Es. 55, 10. ff.) Unde sub Papatu etiam corruptissi-

mo Ecclesia ante *Lutherum* reservata fuit per id, quod sanum integrumque ibi mansit ; prorsus ut in Ecclesia Judaica ante Christum manifestatum, Scribæ & Pharisei in cathedra Moſis docentes quosdam regni filios genuere. Nunc verò malè sibi aduersarii, (Judæi atque Pontificii) nomen Ecclesiæ vendicant, cum Ecclesia Christi apud hos sit, qui Evangelium Christi docent, non qui pravas opiniones contra Evangelium defendunt, sicut inquit Dominus : oves meæ vocem meam audiunt. (Ap. 143.) Et Augustinus ait, in verbis capituli, Domini nostri 7. C. non nostris Ecclesiam quærendam esse. Jam verò pleraque eorum, quæ aduersarii defendunt, fidem evertere, dilucide ostenditur Apol. 148.

ANTITHESIS

I. Pontificiorum, 1. negantium notas has esse infallibiles & adæquatas: 2. plures alias falso assignantium, ut equalitatem rituum, (Art. 7. A. C.) unionem cum Episcopo Rom. sive Ecclesia Romanâ, &c. 3. inficiantium, nostram Ecclesiam ante Lutherum extitisse.

II. Socinianorum, notas adductas ideò ineptè negantium, quia ad formam Ecclesiæ spectent.

III. Syncretistarum, symbolum Apostol. pro nota professionis sufficere putantium.

§. VII.

Placuit autem DEO ἀνακεφαλαιώσασθαι, i.e. summam, vel sub unum caput recolligere omnia in Christo quæ in cælo & in terra sunt, (Ephes. I. 10.) 1. ad gloriam suam; ut cum hîc, in regno gratiæ, tum in regno gloriæ perpetuò celebretur, (Ephes. III. 20. ff. 2. ad adificationem corporis totius, ac membrorum singulorum, (Ephes. IV. 16.) item sanctificationem (Eph. V. 26.) ac demum 3. salutem æternam; (1. Pet. V. 10.) extra Ecclesiam enim non est salus, sive, ut Lutherus in Cat. maj. 500. 501. loquitur, extra hanc Christianitatem, ubi huic Evangelio locus non est, neque ulla est peccatorum remissio, quemadmodum nec ulla sanctificatio adesse potest. Atque iterum (503.) explicatius: quicumq; extra Christianitatem sunt, sive Gentiles, sive Turcæ, sive Judæi, aut falsi

Finis.

falsi etiam Christiani, & hypocritæ, &c. in perpetua manent ira & damnatione.

§. VIII.

Attributa sive affectiones Ecclesiæ ex appendice Symboli Nicæni quatuor vulgò numerantur: (p. 12.) 1. *Unitas*. Una est Ecclesia multis modis. Omnia breviter collegit in unam summam Paulus Ephes. IV. 3. ff. cujus verba A. C. adduxit. Meminit ibi Apostolus *unitatis Spiritus, unius corporis mystici, unius Domini vocantis in unâ spe, unius capitis, Christi, ex quo totum corpus coagmentatum & compactum (15. f.) unius fidei (in V. ac N. T.) unius baptismi, per quem regeneramur, & Christo inserimur: una proinde etiam doctrina erit. Hinc patet, unitatem aliam esse internam, quæ fidei est & Spiritus, de qua Apologia: (p. 151.) Nos de vera, h. e. spirituali unitate loquimur, sine qua non potest existere fides in corde sive justitia cordis coram DEO; aliam externam, ratione principii & mediorum, quò hæc A. C. verba respiciunt: ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum. Nihil audis neque in Scriptura, neque A. C. quod ad unitatem pertineat, ut ubique similes traditiones humanæ, sive ritus aut ceremoniæ sint, imò prolixè Apologia id refellit; 1. quia traditiones istæ, sive universales, sive particulares, nihil conducunt ad justitiam fidei sive cordis: nec 2. sunt effectus Spiritus Sancti, sicut castitas, patientia &c. nec 3. instrumenta, per quæ Deus movet corda ad credendum, sicut verbum & Sacram. (Ap. 151. 153.) nec 4. uspiam in Scriptura tanquam res necessaria ad justitiam præscripta, sed potius liberæ relictæ, Coloss. II. 16. 20. 21. ff. Rom. XIV. 17. (152. f.) eoque 5. postea mutata ab Episcopis, v. g. celebratio Paschatis (154.) 6. Multæ opiniones stultæ ex Pontif. sententia in Ecclesiam irrepsērunt (151.) 7. Ritus ab Apostolis sumtos retineri volunt adversarii, non volunt retineri doctrinam Apostolorum. (153.) 8. Ipsi mutarunt ordinationem Cœnæ Christi, quæ tamen divina & universalis est.*

ANTITHESIS

I. Pontificiorum, qui unitatem Ecclesiæ 1. collocant in unionem membrorum cum Papa. 2. ad eam requirunt unitatem rituum.

Dd

II. Nova-

II. *Novatorum*, negantium unitatem fidei in Veteri æque ac N. Test.

§. IX.

2.
Sanctitas.

II. *Sanctam* esse Ecclesiam ex eo liquet, quia est congregatio sanctorum, & communio ex merè sanctis coacta, sub uno capite Christo, per Spiritum S. convocata, (Cat. maj. 496. 499.) qui sanctitatem Christi per fidem nobis applicat, & internè renovando sanctificat; quanquam in hac vita sanctitate inhaerente non perfectè sancti simus, sed tantum ex dimidio; (501.) absolutam & perfectam sanctitatem in altera demum vita obtinebimus. A professione sancta vocari sanctos, quod vult *Bellarminus*, non est indubium sanctitatis argumentum, cum hypocritæ etiam simulent.

ANTITHESIS

Anabaptistarum, aliorumque fanaticorum, qui prorsus sanctos contendunt. Vid. supr. ad §. III.

§. X.

3.
Catholicus.

III. *Catholica* dicitur Eccles. qui titulus non à Luthero fuit immutatus aut omissus primum in Symbolo Apost. Germanico, quadam fraude, ut Pontificii calumniantur. *Cyprianus* & *Epiphanius* eam non habent, & *Chemnitius* notavit, jam ante *Lutheri* tempora passim sic recitabatur: Ich glaube eine heilige Christliche Kirch. In Latino autem legitur, & *Apologia* (1.45.) ubi etiam h. m. explicatur, quod intelligantur eâ homines sparsi per totum orbem, qui de Evangelio consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum S. & eadem Sacramenta. Latine declarat universalitatem, vel universalem Ecclesiam, quæ continet ambitu suo omnes verè in Christum credentes, s. totum corpus mysticum aut congregationem sanctorum; quod arguit Sanctitatis epitheton, *credo unam sanctam Catholicam Ecclesiam*. Additur etiam in Symbolo Niceno & Ephesino &c. *Apostolicum*, explanationis gratiâ, ut intelligatur, illam esse veram & Catholicam Ecclesiam, quæ doctrinam Apostolicam sincerè fideliterque tueretur.

retur. Hinc facile liquet, Romanam Ecclesiam non esse Catholicam. Cùmque Pontificii se Romano-Catholicos vocent, aperte declarant, se non esse verè Catholicos, quia Ecclesiam ad certum locum alligant, & Romana Ecclesia non Catholica sive universalis, sed particularis Ecclesia est. Rectè verò nos nostræ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Evangelicæ Ecclesiæ vindicare, in aprico est. *Lutheranam* dici patimur à Luthero, non ut hæreseos novæ auctore, quemadmodum Papicolæ calumniantur, sed ut Evangelicæ doctrinæ, à Pontificiorum erroribus repurgatæ, assertore.

ANTITHESIS

- I. Pontificiorum, ut constat.
- II. Syncretistarum, qui Pontificios & Calvinianos quæ talès ad Ecclesiæ Catholicæ communionem pertinere asserunt.

§. XI.

IV. *Duratio.* Profitetur enim Confessio A. quòd *una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit.* Habet enim promissionem, 1. quòd *semper sit habitura Spiritum S.* (Apol. 148. fin.) Unde *Spiritus Sanctus à sanctorum communione non discedit, sed cum ea usque ad consummationem seculi perseverat.* (Cat. maj. 500.) 2. quòd *Christus ei adfuturus* (Matth. 28. ult.) quòd *portæ inferorum ei non prævalituræ sint,* (Matth. 16, 18.) &c. Idem vocabulum *Catholicæ* innuit. Nam si Ecclesia Catholica i. e. omni tempore credenda est Ecclesia, sequitur Ecclesiam omni tempore existere debere. Interim non æquali & pari facie semper apparet, sed aliquando infinitis periculis & multitudine impiorum ita opprimitur, ut vix appareat. (Ap. 145. f.) Neque enim semper visibilis est aut floret; ac malè propterea felicitatem temporalem pronotâ Ecclesiæ habent adversarii. Manet enim & promissio divina firma manet, sive lateat, sive pateat Ecclesia. Quando autem *deficere* dicitur, quòd Scriptura passim futurum testatur, inpr. tempore *Antichristi*, de particulari & visibili Ecclesiæ intelligi debet, quæ sæpè & multis in locis defecit, non de Catholica & invisibili.

D d 2

ANTI-

ANTITHESIS

I. *Arminianorum & Socinianorum*, dicentium Ecclesiam penitus deficere posse.

II. *Pontificiorum*, negantium particularem Ecclesiam, & speciatim Romanam, deficere posse, cum tamen id affirmet Paulus Rom. XI, 20. f. & res ipsa loquatur.



ARTICULUS XVII.

DE

ANTICHRISTO *Ejusq.* REGNO.

THESIS.

Antichristus ille insignis est Papa Romanus, in Ecclesia sive regno Christi potestatem *divinam* ac divinam in temporalibus & spiritualibus sibi arrogans, mutans doctrinam Christi & cultus à DEO institutos, ac novam doctrinam novosque cultus tanquam ad salutem necessarios, obtrudens, veræ fidei confessores opprimens, spiritu oris Christi convincendus, & Christo ad iudicium veniente, penitus abolendus.

EKOL

ΕΚΘΕΣΙΣ CUM ANTITHESI.

§. I.

Ordinis ratio plana est & expedita. Regno Christi opponitur ^{Ordinis ra-} regnum Antichristi. Nam contraria juxtà se posita magis ^{tio & me-} elucescunt. ^{mentum.} Necessaria etiam est regni Antichristiani cognitio, ut caveatur eò melius corruptio atque perditio. Neque ex systemate Theologiæ Symbolicæ Ecclesiarum Lutheranarum excludi hic Articulus debet, cum certissimum sit, *Lutherum* propter istos errores & abusus, qui in Augustana Confessione ejusdemque Apologia notantur, Antichristi nomen Pontifici Romano jam ante imposuisse: & characteres plerosque Antichristi ejusque regni, Papæ dictis in scriptis tribui, ut ex sequentibus manifestum reddetur. Perperam ergò Pontificii, ut quantum in ipsis est, religiosæ Pacis beneficium nobis eripiant, impudenter clamant, in tota A. C. non haberi, quod papa sit Antichristus, ac propterea ad hoc dogma ignominiosum universæ Eccles. Christianæ & toti Rom. Imperio, non extendi debere securitatem Aug. Confessioni additis indultam. *Tanner. T. 3. Theol. Schol. Disp. I. Q. 4. §. 209. 224. f.* Quamvis verum esset, nil in A. C. de hoc dogmate extare, non tamen ideò deneganda nobis pax esset, quia disertè pactum est in Pac. rel. §. Unde *Damitz Casarem, Electores, Principes & Status Imperii, non debere ullum Stuum Imperii propter A. C. invadere, ladere, obruere, aut alia ratione contra conscientiam & voluntatem ab A. C. religione, fide, ritibus, ordinationibus & ceremoniis, quæ jam constituta inter ipsos, aut porrò (NB.) constituenda sunt, arcere, aut quacunque ratione onerare.*

§. II.

Antichristi quidem multi sunt in generali vocis significatione, qui Christi personam, officium, ejusque doctrinam ex proximi labefactant, venturus tamen erat insignis aliquis seductor, qui καὶ ἐξολωτὴν Antichristi nomen sortitus est, 1. Joh. II. 18. Eum Pontificem Romanum esse meritò affirmamus, quia characteres Antichristi in Scriptura S. expressi, in eum exactè quadrant, ut

Pd 3

jamjam

jamjam sigillatim ostendemus. Etsi verò Antichristus magnus Occidentalis unus sit, tamen non unicus homo est, ut Pontificii ex Apoc. XIII. malè intellecto statuunt, quia ea, quæ de hoc Antichristo ac regni ipsius duratione dicuntur, unius hominis ætatem superant.

§. III.

Ejus sedes,

*Sedes Antichristi generalis est, Templum Dei, 2. Thess. II. 4. sive Ecclesia, Ephes. II. 21. adeoque in regno vel eis $\nu\alpha\delta\upsilon$ in Ecclesiam DEI peculiare regnum sibi arrogat; Id enim per *sedere*, phrasi Scripturæ sæpè declaratur: *specialis* urbs Roma septicolis, non Ethnica, sed Christiana facta, multò minus Hierosolyma, vel templum Hierosolymitanum, ut adversarii nugantur.*

§. IV.

Notæ.

i.
Potestas
divina &
in tempo-
libus,

Facile autem probari potest, *Papam esse ipsum verum Antichristum*, inde, quia notæ Antichristi planè competunt in regnum illius, (Art. Sm. 347. fin. 348.) quarum præcipuas, si non omnes, hanc ob causam è sacris literis Veteris & Novi Test. in primis Dan. XI. 38. (Ap. 149. 208.) & 2. Thess. II. 4. ff. (Art. Sm. 315. 348.) proferemus. I. est *potestas $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon$ & divina*, quam sibi arrogat in temporalibus & spiritualibus. Ibi, quando se *Dominum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum privatarum & publicarum* (Ap. 149.) jactitat; in cuius potestatis signum osculari sibi pedes postulat. Quod Paulus his effert verbis: *effereus se super quemvis, qui Deus dicitur* ($\lambda\epsilon\gamma\omicron\mu\epsilon\upsilon\upsilon\varsigma$ $\Theta\epsilon\omicron\upsilon\varsigma$, conf. 1. Cor. 8, 5.) i. e. $\epsilon\tilde{\xi}\sigma\iota\alpha\varsigma$ $\epsilon\tilde{\omega}\rho\epsilon\chi\tilde{\iota}\varsigma$, Rom. 13, 1. aut *augustam personam*, qualis est Imperator, Actor. 25, 21. 25. Unde *Papæ rapere ad se imperia cooperunt, transtulerunt regna, vexarunt injustis excommunicationibus & bellis ferè omnium nationum Reges in Europa, sed maximè Imperatores Germanicos &c.* (346. 347.) Imò etiam in Clementinâ scriptum est: *vacante Imperio Papam esse legitimum successorem. Ita non solum dominationem contra mandatum Christi invaserunt, sed etiam Tyrannicè prætulerunt se omnibus Regibus, prætexentes auctoritatem Christi, & potestatem slavium ad regnum mundanum transferentes* (ibid.) Matth. 16, 19. Joh.

Joh. XXI. 17. cum tamen 1. *claves ad totam Ecclesiam, non personam unius certi hominis, Petri, nedum Papæ imaginarii illius successoris, pertineant, (345.)* 2. *tantum potestatem spirituales de-* β Spiritual.
clarent, (346.) Nee in temporalibus solum, sed *spiritualibus* quoque potestatem absolutam Papa venditat. Siquidem, ut iterum Paulus l.c. dicit, eoque progreditur, *ut in templum DEI, tanquam Deum se collocarit, demonstrantem seipsum, quod sit Deus.* Hinc *Deus & Dominus Deus noster* ab hominibus vocari voluit. Extrav. Joannis 22. tit. 14. cap. 4. cum inter. in *Gloss. & Decret. dist. 96. cap. Satis.* Et obvium est in Theologia Pontif. magisteriale illud effatum: *Papam Deum esse, ac proinde ab hominibus judicari non posse.* (Conf. Artic. Smalc. 350.) Tripliciter autem divinam potestatem sibi arrogat Papa, prout doctè notavit D. Lutherus (348.) 1. *quia sibi sumit jus mutandi doctrinam Christi & cultus à Deo institutos, & suam doctrinam suamque vult observari tanquam divina.* (ibid.) 2. *quia sibi etiam sumit jus de animabus post hanc vitam.* 3. *quia non vult à quopiam judicari.* Ex 1. quidam peculiarem Antichristi notam petunt, quæ II. erit. Hanc ob causam dicitur *ἀντιχριστός*, sive Hebr. *שׂטן Satan*, qui se opponit & adversatur Deo, quoad doctrinam & mores, novumque cultum excogitat humanâ autoritate, *rejiciens Christum.* Utrumque demonstrari ad oculum posset, si brevitatis nostra id permetteret, ac non jam errores in doctrina hætenus ostensi essent. Nunc præcipua quædam saltem notamus: 1. quod Papa Christo *detrahat honorem Mediatoris & propitiatoris, cum docent, homines non propter Christum gratis justificari per fidem, sed per opera, novos cultus & traditiones humanas,* (Ap. 100. 205. 206. 208.) quibus mereamur remissionem peccatorum, *ita tollunt abjiciuntq[ue] fundamentum, quod est Christus (III. 148.) contumeliâ efficiunt Evangelium Christi (279.)* 2. Id aperte testatur *sacrilega mutatio & mutilatio S. Cœnæ, ejusque turpis profanatio in Missâ, ad mortuos & satisfactiones pro pœnis translata: Hoc est tollere jure sacrificium ex Ecclesia: hoc est Antiochi regnum: hoc est Evangelium contaminare, corrumpere usum Sacramentorum, corpus & sanguinem Christi ad sacrilegum quæstum conferre (272. 273.)*

2.
Repugnancia quoad cultum & mores.

273.) de quo publica & longè maxima querela diu fuit omnium bonorum virorum, (24.) hoc est abuti nomine DEI contra II. preceptum & ledere gloriam passionis Christi (25.) 3. Doctrina de Penitentia & Confessione prorsus depravata satisfactionibus & indulgentiis. 4. Invocatio Sanctorum quantos abusus & quam horrendam idololatriam peperit? 5. Quanta flagitia orta sunt ex traditione de coelibatu? 6. Quantas tenebras offudit Evangelio doctrina de votis? (349.) Hi similesque errores regni Papæ manifesti, nec leves existimandi sunt, cum ledant gloriam Christi & afferant perniciem animabus. Et Scriptura tota voce clamat, errores illos esse doctrinam demoniorum & Antichristi. (ibid.) Adversarii ergò simpliciter constituunt Regnum Antichristi. Daniel enim cep. XI. 38. significat novos cultus humanos ipsam formam & πολιτείαν regni Antichristi fore. (208.) De corruptione morum apud Pontificios è praxi constat, eoque quamplurimæ querelæ jam olim à cordatis hominibus in Ecclesia Pontif. institutæ de universali omnium statuum pollutione, qua funestæ tabis instar & caput & membra infecit ac peredit. Huc pertinent Scripta Gersonis, Brigittæ Revelationes, Vincentii Ferrariensis Prognosticon, Nicolaus de Clemangis, Bernardinus Morlanensis, Petrus de Aliaco, Gualterus Mapius, Bonaventura, VVicleffus, Adrianus Pontifex, Cl. E. spensaus, alique benè multi, quos uno volumine collectos edidit D. VVolfgang. VVissenburgius, Basileensis Theologus in Antilogia Papa. Non præteriri debet Johannes Hilten, cujus in Apologia mentio fit (276. f.) Constat E. satis de apostasia illa insigni à fide & vita Christiana, 2. Thess. II. 3.) regni Pontificii. Accedit III. errorum defensio & veritatis Evangelicæ ejusque Confessorum atrocissima persecutio: Duplicem Tyrannidem exercet Papa, defendit errores suos vi & homicidiis, & vetat cognitionem. (350.) De priori testantur & verba & facta crudelia. Scribunt leges sanguine, & has proponunt Cesari promulgandas, trucidant Sacerdotes, & alios bonos viros, si quis leviter significavit, se aliquem manifestum abusum non probare. (105.) In Conventu Augustano, cum de Confessione nostra sententia diceretur, dixit quidam, nullum sibi consilium videri melius, quam si ad eam atramento scriptam,

3.
Persecutio.

ptam, sanguine rescriberetur. Quid diceret crudelius Phalaris? Notæ sunt. Bulla sanguinaria post Pacem religios. Juri Canon. insertæ, Inquisitiones Hispanica, Nuptia Parisienses, Vespera Sicula immanitatis exempla in *Valdenses, Hussitas* aliosque statuta. Quæ omnia prædicta sunt de bestia, i. e. Papa Romano, Apocal. XIII. 15. XVII. 6. XIX. 24. Taceo IV. violationem *Juris Gentium*, per decretum impunè invadendi Principes atque privatos, qui characterem bestia præ se haut ferunt, Apoc. XIII. 17. Vide *Bullam Coena Domini: Juris Naturalis* per interdictum certorum ciborum & conjugii Sacerdotum, 1. Tim. IV. 3. (22. 23.) imò *Divini*, quod multis modis Papa violat, adeoque peior est Turcis & Tartaris, quantumvis sint Christianorum atroces hostes. In compendio dogma & regnum Papæ descripsit, vivisque coloribus depinxit Lutherus in Art. Smalcalo. 315. tandemque ita conclusit: *Quare sicut Diabolum ipsum non possumus adorare & pro Domino ac Deo colere: ita nec ejus Apostolum Papam seu Antichristum in regno ejus, ut caput & Dominum ferre possumus.* (ibid.) Omnia enim, qua Papa ex tam arrogante, temeraria, mendace, blasphema & furto arrepta potestate suscepit & fecit & adhuc facit, fuerunt & sint merè diabolica acta & instituta, ad perditionem totius sanctæ Ecclesiæ &c. (313.) Hæc sine hæresi & sine crimine læsæ Majestatis docemus & profiteamur, ut pridem Nostri publicis scriptis ostenderunt.

§. V

Hunc verò Antichristum Dominus Spiritu oris sui conficiet & penitus abolebit claritate adventus sui 2. Thess. II. 8. Prius factum est prædicatione Evangelii, Lutheri cum primis ministerio, Apoc. XIV. 6. Posterius autem mox futurum speramus. Videtur enim cultus *Baalitius* (sive abusu Missæ) unà cum regno Pontificis duraturus esse, donec veniet Christus ad judicandum, & gloria adventus sui perdet regnum Antichristi. (275.)

Terminus,

Mein



A. 3.

Wein herzvertrauter Freund / O Edler Muses-Sohn /
 Ein Licht das herrlich scheint / auff hohem Ehren-
 Thron /
 Nicht nur im Vater Land / vor Euern liebsten Freunden /
 Und was Euch ist verwandt / so Grosen als auch Kleinen /
 Vornehmlich die es rührt / die fern von hinnen seyn /
 Eur Eltern die Ihr fährt / in tausend Freud hinein.
 Bring wolt Ihr nicht bleiben / Ihr suchet hoch hinauß /
 Durch Euern Fleiß zu steigen / ins rechte Ehren-Hauß /
 Das zeigt Euer Mäh / das weist Euer Thun /
 Damit verdient Ihr hic / und auch dort ewig Ruhm /
 Raum habt Ihr eine Prob / Eur's Fleißes sehen lahn /
 So tritt Ihr wieder auff / und zeigt jederman /
 Was Euer Herz und Sinn / was Euer reicher Muht /
 Zu suchen nur beginn / der Weißheit höchstes Guht /
 Dadurch Ihr Euch gebracht / in hoher Männer Gunst /
 Den Gott gegeben Macht / zu lohnen Euere Gunst /
 Die tragen schon in Händ'n / den Lohn der Euch gebührt /
 Worzu Euch Gott wird send'n / daß Ihr sein Heerde fährt /
 Das Glück so Euch steht off'n / das hab Ich schon ersch'n /
 Wohl Euch Ihr habts getroffen / Ihr müßets selbst gesteh'n /
 Das Glück so Ihr durch Fleiß / Euch selber habt erlangt /
 Und damit hier und dort / vor Gott und Menschen prangt.

Also gratuliret seinem Herzens-Freund
 und Respondenten auß sinceren Gemüht
 und alter Treu.

J. H. Römer.

Dum



DUm perdunt alii luxu breve tempus inertes,
 Plenaque dum vanis, otia rebus agunt,
 Tu qui Te studiis conaris reddere doctum
 Etatem melius temporis hancce locas,
 Perneget id nemo; Cur? Te quia ritè, tueri
 Cernunt posse theses, suavis amice, tuas.
 Qui nunc pro meritis, charissime, dantur honores,
 Ut Tibi mille ferant commoda, corde precor.

Hac adhuc gratulabundus adijcere voluit

Eidem Beneficentissimus




Nun so du treuer Freund / so wirstu Freundschaft hegen /
 So wird dein Fleiß und Ruhm / den Eltern Freud erregen
 Dein wehrter Freund alhier / den du vor andern mehr /
 Nach deiner eignen Rühr / hast lieb gewonnen sehr /
 Der rühmet auch den Fleiß; wie dann die Freundschaft eben /
 Zu sampt den Büchern Schweiß / so lang Er auch wird leben;
 Sey also fleißig drob / ob diesem Gottes Fleiß /
 So hastu Ruhm und Lob / hier und auch ewig Preis.

*Charitatis & amicitia testificanda ergò hac DN.
 RESPONDENTI transmittere voluit*

CONRADUS KORNMESSERUS

p. t. Præcept. Rodh.



Nunc iterum scandis Cathedram paulò antè relinquens,
 Ac claram patriæ spem populoque facis.
 Cunctipotens sanctas operas, BELTZERE, secundet,
 Ac tibi de egregio munere prospiciat.

*Paucula hæc Pereximio ac Clarè Docto BELTZERO
 Ling. Orientali Cultori inæfesso, Studio Theologia
 felicissimo, Cognato suo & Contubernali estimatissi-
 mo singulari Amoris ergò apposuit gratulab.*

JOHANNES ADAMUS Höcher /
 Widdersheimensis Phil. & S. S. Theologiae
 Studiosus.



M An pfeget Sprichworts Weis/ gar deutlich außzusagen:

Wer in dem Sommer nicht die Arbeit will ertragen/
 Der muß im Winter auch/wann and're frölich seyn/
 Sehr traurig schauen zu/und leyden grosse Pein;
 Ja wer des Sommers oft / mit den Sirenen singet/
 Und allzeit gehet nach / der Seiten so hell klinget /
 Der wird auch gleich wie sie / im Winter sehr verlacht/
 Von der Ameisen Fleiß / so Speiß zusammen bracht.
 Das hast auch wohl betracht / im Sommer deiner Jugend/
 Herr Beltzer wehrter Freund / drum du auch Kunst und
 Tugend /
 Durch grosse Müh und Schweiß / zu'r langen nachgetracht.
 Auch nicht eh lässest nach / bis du zu wegen bracht /
 Ein'n guten Vorrath dir / damit im Alters Winter /
 Du könnest ruhen fein / wie and're Musen- Kinder.
 Gott schenck dir solche Ruh / Gott geb dir Lust und Freud/
 Und bring dich endlich auch / zur ewigen Seeligkeit.

Dieses hat glückwünschend seinem wehrten
 Freund hinzu setzen wollen

D. A. STALL. LL. St.

Ist ist der beste Ruhm/allhier auff dieser Erden/
 Wann einer nach seim Thun/wird recht geehret werden/
 Wann Einer sein studirn / so Er durch Fleiß bekommen.
 Also darnach thut fähren / daß Ihm nichts werd genommen.
 Er/wehrteschätzter Freund/hat auch dieses recht bedacht/
 In dem Er all sein Zeit / im studiren zugebracht/
 Jetzt thut Er an das Licht/was Er durch Fleiß bekommen/
 In dem Ihm durch viel Prob/der Lehr nichts wirdgenommen/
 Ich wünsche Glück zu Glück/der Höchste wolle geben/
 Daß Er in solchem Glück beständig möge leben.

Dieses hat seinem wehrteschätzten Freund
 gebührend aufsetzen sollen.

S. S. J.

01 A 6617


ULB Halle 3
003 090 469



W 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



כבוד א
 TIO SACRA.
 DE
 LESIA,
 HRISTO
 usq
 ANO, HOLM
 Symbolica Lutherana,
 AM,
 SIDE
 DO, AMPLISSIMO, AT QVE
 TTISSIMO,
 RICO MAJO,
 & Oriental. Linguarum
 imo, Ecclesiae Giessensi ac
 issimo, districtus Alsfeldens. &
 UPERINTENDENTE Vigilantia
 EPHORO ac PEDAGOGO
 exterrimo,
 promotore ac in Christo,
 servantia, aeternum sancte
 , colendo,
 ce
 Annuente Gratia,
 subjiciet & defendet.
 IUS BELTZERUS,
 iacus SS. Th. St.
 SSORUM,
 KARGERI, Acad, Typ. Ord.

